Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1195

Quelle:
Copyright:

ſuper illud. In principio erat uerbum &c. Vides propalacionem et poteſtatem uerborum multam &c. Siſtit in iis: *Sufficiebat enim velle ſolum. et omnia ſequebantur.* Initium illud legitur nunc in *Homilia* I. et Finis in *Hom.* LXXXVII. ſeu ultima in impreſſis. Codex hac terminatur clauſula: *Finit expo. criſ. a burgundione iudice piſano translata. Anno domini. M. C. LXXIIII. Johannes* iſte *Burgundio*, de quo adi Ill. *Mazzuchellium Scritt. d'Italia Vol. II. P.* 3. p. 1768. verſionem hanc ſuam *Romam* ad Concilium *Lateran.* III. 1180. adtulit, ut ad h. a. *Robertus* Abb. *Montis* in continuat. *Chronici Sigeberti* narrat. Vide *Fabricii Bibl. Graec. Vol.* VII. p. 647. Erravit itaque *Manſius* in edit. *Bibl. med. et inf. Lat.* ejusd. *Fabricii* illum ad Sec. XIV. repo-nendo; maxime cum nunc e *Cod.* noſtro ipſum factae translationis annum teneamus. Eam recognovit *Franciſcus Accoltus* dictus *Aretinus*, ſi *Bibliothecam graecam* paullo ante *cit.* audias, ſed ſi ejus Verſionem *Coſmo Medici* inſcriptam, *Romae*que in S. *Euſebii Monaſterio* MCCCCLXX. *f.* impreſſam cum noſtro *Codice* conferas, ut feci, *Franciſco* injuriam factam deprehendas, ejusque laborem longe a *Burgundionis* verſione abire. Itaque recte a *Mazzuchellio*, *Lairio* et aliis Interpretis ei nomen tribuitur.

Contenta in *Codice* ſive *Catenam PP.* ſive *Libros Sententiarum* dicas, lectiones aliquas meliores ſuppeditare poſſent, ſi cum Operibus, e quibus excerpta ſunt, contenderentur. Subſcripſit illis Librarius:

Qui ſcripſit ſcribat ſemper cum domino uiuat:
Viuat et in celis wlricus nomine felix.

Adjacet etiam nomen recentioris Poſſeſſoris *F. Johannis de Mantua Ordinis Fratrum Seruorum* ſcil. B. V. M.

CCCV. VI. H. 7.

645 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 319. 4. non una manu perſcriptus et olim *Wenceslai Roſſii Preſſorovii* Sacerd. *Bohemi* cum multis aliis hactenus indicatis haec ſervat: I. Locos communes Theologicos ſive PP. Sententias ex Alphabeti ſerie in *Capita* CLXXIII. digeſtas, addito ſub finem Elencho: *De Abſtinentia. De Acceptione Perſonarum. De Accidia. De Amore. De Angelis* &c. Initium C. I. *Bernhardus. Magna abuſio eſt, quod parcitas auaricia putatur* &c.

II. *fol.* 72. *Contractus de ſanctis.* Id eſt, Sermones de Feſtis SS. per annum ab *Andrea* Apoſtolo usque ad *Catharinam* Virg. autore *Joh. Contracto* ſive *Kortz* O. M. ut dixi ad *Cod.* DCCXXVI. quem, ſi lubet, confer. Initium: *Ambulans iheſus* —

In